de die iudicii

Dilectissimo fratri Ade Petrus peccator monachus humilis in domino salutem. Quod me frater carissime quid ante mundi creationem fuerit quid post iudicium de mundo futurum sit discutis, de ipso quoque iudicio sollerter inquiris, tu quidem religiose et prudenter agis, verum me ad ignorantiam protrahis et que nondum didici dicere compellis. Queris plane quod nescio, exigis quod ignoro. Nam et Iesaias ait: Priora adnuntiate michi et novissima que futura sunt et dicam quia dii estis. Aperte voles exprimere quid ante mundum fuerit vel quid post eum futurum sit neminem posse enarrare. Fructuosum est tamen inquiri licet res absoluta nequeat explicari. Quod tamen de die iudicii queris et antichristo, lege librum beati augustini de civitate dei xx. Porro beati ieronimi in danihele, apocalipsis quoque est commentarius suis in quibus singula que ad noticiam huius materie poteris invenire. Sicut et autentica prius scriptura designat et postmodum expositorum stilus elucidat, tribus annis et semis antichristus regnabit, et interfectis ab eo enoc et helia ipsum antichristum et maximam turborum eius partem michael archangelus interficiet. Iuxta apostolum autem quia dominus ihesus interficiet eum spiritu oris sui etc. Occidetur sicut a doctoribus traditur in monte oliveti in papilione ac solio suo, eum dominus perimerit in illo videlicet loco contra quem videntibus apostolis in celum ascendit, de quo per danihelem legitur: Sermones contra excelsum loquetur et sanctos altissimi conteret, et putabit quod possit mutare tempora et leges, et tradentur in manu eius usque ad tempus et tempora et dimidium temporis. Unde colligitur antichristum tribus annis et dimidio regnaturum. Tempus enim unus annus est, tempora duo anni sunt, dimidium temporis anni dimidium. Tribus annis et dimidio regnaturum, deinde divini furoris gladio perimendus, ut et ceterum omnimodis pereat et vero regi creatura universa se substernat.

Unde et idem daniel: Iudicium inde sedebit ut auferatur potentia et conteratur et dispereat usque in finem. Regnum autem et potestas et magnitudo regni que est subter omne celum detur populo sanctorum altissimi, cuius regnum eternum est, et omnes gentes servient atque obedient ei. Porro post mortem antichristi xlv dies erunt residui usque ad adventum christi. In quibus et persecutio cessabit et magna pax et tranquillitas erit, ut intra huius temporis spatium et iusti quique si quid persecutionis articulo titubaverint penitentiam agant, et ministri diaboli in temporis.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.3, 1v – Augustinus, (Pseudo-), De essentia divinitatis; Petrus Damianus, De novissimis et Antichristo; Opuscula varia (https://fragmentarium.ms/view/page/F-5kbv/5162/49445)